



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina**

**Pirhing, Ehrenreich**

**Dilingæ, 1690**

§. II. De ordinandis, & quinam à jure divino inhabiles sint ad ordines  
suscipiendos?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

ordinatus ab Episcopo, qui renuntiavit &c. & ex Trident. sess. 23. Canone 7. tum ex eo, quod distinctam materiam, & formam Episcopatus, ab aliis Ordinibus habeat, & diversam potestatem conferat, quam alii Ordines non conferunt: negari tamen non potest, quod ad sui exercitium prærequirit Episcopatus Sacerdotium, ita ut nec validè nec licitè Ordinis Episcopalis functiones exerceri possint ab Episcopo non Sacerdote, & consequenter Episcopalis Ordo adæquatè sumptus essentialiter includat Sacerdotium; ob quam causam aliqui dicunt, non quidem adæquatè distinctum esse Ordinem Episcopalem à Sacerdotio, esse tamen inadæquatè distinctum, tanquam includens ab inclusio.

§. II.

De Ordinandis, & quinam jure divino inhabiles sint ad Ordines suscipiendos?

1. Incapax est jure divino suscipiendi Ordinis femina, quod patet tum ex perpetuâ praxi, & traditione Ecclesiæ, tum quia Ordo eminentiam potestatis, dignitatis, officij &c. in Ecclesia infert, quorum nihil feminis, quæ juxta Apostolum in Ecclesia docere non debent, & potius debent subesse, convenit: sed nec primæ tonsuræ capax est femina, cum enim prima tonsura sit dispositio ad ultiores Ordines, consequenter qui Ordinum incapax est, est etiam primæ tonsuræ incapax; & quamvis multus sermo sit, in jure Canonico, de feminis Diaconissis, censeri tamen non debet, quod hæc constitutæ fuerint in Ordine Diaconatûs, sed taliter vocabantur,

quia vel per Diaconissam intelligebatur Abbatissa, vel quia conjuges Diaconorum erant, vel quia ad specialia quædam Ecclesiæ munera, quæ nullum quidem Ordinem requirunt, peculiatem tamen curam, & munditiâ requirebant, fuerunt deputatæ. 2. Incapax est Ordinis suscipiendi de jure Divino, non baptizatus Baptismo fluminis, ut patet ex c. 1. & 2. de Presbit. non bapt. & ex eo, quod Baptismus fluminis sit prima janua Sacramentorum omnium. 3. Nulla est illius Ordinatio, qui per vim absolutam positivè dissentiens, & contra reclamans ordinatur, ut constat ex c. majores 3. §. item queritur de Bapt. & ex eo, quod Deus velit luorum Mysteriorum voluntarios Ministros. Et quamvis infans, & amens validè ordinari possint, positivè tamen dissentiens, & reclamans, nec validè ordinari potest, cum aliud sit non consentire, quod fit in ordinatione infantis, & amentis, aliud sit positivè dissentire, quod fit in nostro casu. Quod si verò metu gravi cadente in vicum constantem, extrinsecus, & injustè excusso, ad Ordines accipiendos cogatur aliquis, validè quidem ordinatur: cum tale voluntarium sit absolutè voluntarium, voto tamen continentæ, in susceptione Ordinum Sacrorum incluso, & Officij Canonici dicendi onere, non obligatur; cum hæc onera ab Ecclesia imposta, majorem libertatem requirant, quam quæ est à metu coacta, & non sint essentialiter connexa.

